

multi alii in Andro tum audi[ve]re. *CH.* utinam id sit quod spero! eho dic mihi,

quid eam tum? suāme esse aibat? *CR.* non. *CH.* quoniam igitur? *CR.* fratri' filiam.

*CH.* certe meast. *CR.* quid ais? *SI.* quid tū ais? *PA.* 30  
arrige auris, Pamphile!

*SI.* qui credi'? *CH.* Phania illic frater meu' fuit. *SI.*  
noram et scio.

935 *CH.* is bellum hinc fugiens meque in Asiam persequens  
proficiscitur:

tum illam relinquere hic est veritus.† postilla nunc primum  
audio

quid illo sit factum. *PA.* vix sum apud me: ita animu'  
commotust metu

spe gaudio, mirando tanto tam repentino hoc bono. 35

*SI.* nē istam multimodis tuā inveniri gaudeo. *PA.* credo,  
pater.

940 *CH.* at mi unu' scrupulus etiam restat qui me male habet.  
*PA.* dignus es

cum tuā religione, odium: nodum in scirpo quaeri'. *CR.*  
quid istuc est?

*CH.* nomen non convenit. *CR.* fuit hercle huic aliud  
parvae. *CH.* quod, Crito?

numquid meministi? *CR.* id quaero. *PA.* egon huiu' 40  
memoriam patiar meae

volūptati obstare, quōm ego possim in hac re medicari  
mihi?